

CAP. II.

Inutile esse studium artis extra  
usum positæ.

**E**Ruditi omnes hanc ab omni ævo  
maximam, regulamve servarunt, &  
approbaverunt, debere leges quas-  
cunque statui & formæ reip. accommo-  
dari, non remp. legibus, idque Aristote-  
les libro tertio politicorum expresit. Le-  
ges enim constituuntur ad conservan-  
dam in suo ESSE, forma & qualitate rem-  
publicam: quemadmodum diæta & vi-  
vendi ratio à medicis præscribitur ad  
conservationem corporis, cui juxta ha-  
bitum & naturam ipsius commoda esse  
debet diæta, non corpus diætæ. Id ex tri-  
bus reip. formis intelligitur, quas Græci  
antiquitus Monarchiam, Aristocratiam,  
& Democratiam appellarunt, hoc est, im-  
perium unius, virorum egregiorum, &  
populi. Nam leges reip. populari pro-  
priæ, ejusque formæ & statui aptatæ,  
ut plurimum inutiles sunt regno: quem-  
admodum vestimenta hominis gibbosi,  
erecto: atque omnis resp. quoties for-  
mam mutavit, simul leges & statuta vari-  
avit.